



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 67. Vanus Catholicorum conatus pro Religione Orthodoxa in Scotiæ Regno restauranda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

plausus turbabat eventus, qui Mariam <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 Reginam ingenti affecerat dolore; cum A.C. 1561.  
 enim ejus Sacellanus in sua domo rem  
 divinam peragere vellet, jamque pro sa-  
 crâ hac functione sacerdotales afferren-  
 tur vestes, quidam perditæ vitæ hæ-  
 reticus eo temeritatis prolapsus est, ut  
 cereos accensos ab altari eriperet, eos-  
 que confringeret, ac nisi illius petulan-  
 tia a Viris moderatioribus fuisset cohi-  
 bita, ipsum etiam Altare, sacrumque ap-  
 paratum evertisset: porro hic tumul-  
 tus a Jacobo Stuardo Reginæ fratre e-  
 rat instructus, acceptam vero injuriam  
 Princeps prudentissima aliquamdiu dis-  
 simulabat.

§. LXVII.

*Vanus Catholicorum conatus pro Re-  
 ligione orthodoxa in Scotiæ  
 Regno restauranda.*

Interea Atholiæ, Cravordiæ, & Su- <sup>Thuan. l. 29.</sup>  
 therlandiæ Comites unacum non-  
 nullis Præsulibus veram Religionem in  
 Scotiam revocare moliebantur: cum  
 vero Jacobus Stuartus Reginæ frater  
 Protestantium sectæ apprime addictus,  
 sua auctoritate pium hoc consilium abs  
 dubio everfurus timeretur, hinc præfa-  
 ti Proceres præprimis omnia præ-  
 mittebant, quæ magis congrua ipsis ad



Sæcul. XVI.  
A. C. 1561

hoc videbantur, ut eundem Jacobum a Mariæ Reginæ amicitia avellerent: verum duntaxat consilii sui aliquam partem, eamque nonnisi ægerrime exequi poterant, præcipuus vero, quo Religionem Catholicam restaurare moliebantur, eorum conatus ferme omni successu frustrabatur, quippe nova hæreticorum Reformatio tam severis legibus fuit stabilita, ut soli Reginæ unica duntaxat Missa in suo Sacello peragenda concederetur: quinimo hæc ipsa facultas adhuc ea restricta fuit conditione, ut hoc Sacrificium sine omni pompa fieret: quam in rem promulgabatur edictum, quo Reginæ hæc licentia quidem danda, sed non nisi ad unicam Missam restringenda decernebatur: e quidem dum hoc edictum promulgabatur, eidem Jacobus Hamiltonus Araniæ Comes sese opponebat: verum sua repugnantia parum in Religionis negotio proficiebat (\*). Porro Regina necessarium

(\*). Continuator hoc loco contra Historiæ fidem hallucinatus est, dum Hamiltonum tantquam Catholicum depingit, cum tamen Thuanus l. c. hæc de eo eo referat: *Cum edictum de Missa unica Reginæ permissa publicaretur, Jacobus Hamiltonius, qui e Gallia, ubi iussu Guisianorum captus asservabatur, aufugerat.*



farium ducebat, ut continuo Satellitum turma ejus latus stiparet, cum vero id apud Scotos haud usitatum, omnique novitate, quam ipsa introduceret, suos subditos magis irritari prænoffet: ea-propter, ut suum consilium absque suspicionis metu perficeret, eo usa est artificio, ut a fidis quibusdam hominibus noctu tumultum excitari curaret, perinde acsi Araniæ Comes Reginam, cujus amore immodico tenebatur, quamvis illa ab ipso semper alieno esset animo, per factionis suæ socios in arcem suam abducere aggrediretur. Hoc nuntiato mane custodes ad palatii portam appositum apparuere, qui etiam postea continuo ibidem excubias agebant, Proceribus nihil obluquantibus, eoquod hic rumor fat vero similis videretur, atque Araniæ Comes de ejusmodi consilio multum suspectus foret.

§. LXVIII.

*contradicere ausus fuit, Et Arcimbaldus omnes Pontificios facessere jusserat. Buchananus etiam lib. 17. ita scribit: cum edictum promulgaretur, qui contradiceret, e tota Nobilitate unus est inventus Comes Araniæ: multum licet dissimulanter indignante Regina: Ex his clare patet, hunc Comitem in Catholicæ Religionis odium huic licentiæ de Missa celebranda sese opposuisse.*

Sec. XVI.  
A.C. 1561.